

Per dilu-  
vium Deu-  
calionis in-  
telligitur  
diluvium  
Noæ.

Deucalione in tantam multitudinem excrevit. De illis autem hominibus, huiusmodi quedam narrari: cum es-  
feri admodum essent, nefaria opera eos perpetrasse. neque enim iniurandum servasse, neque hospites recepisse, neque supplicum misertos esse; ob quam rem, ipsos maximam quoque calamitatem subiisse. Statim enim & tellus multam aquam effudit, & imbres magni fuerunt, & flumina solito maiora decurrerunt, & mare eo usque ascendit, dum omnia aquis involverentur, atque omnes perirent. Deucalion autem solus hominum relictus fuit, in secundam videlicet generationem, prudentia simul & pietatis gratia. Servatus autem fuit hoc pacto: arcam quandam magnam, quam ipse habebat, impositis in eam & liberis & uxore sua conscendit. ceterum cum ipse ingrederetur, Venerunt eodem & apri & equi, & Leonum genera, & serpentes, aliæque, quæcumque tellure pascuntur, bina ex unoquoque genere, cuncta. Ille autem recepit ad se omnia, atque ea ipsum handquaquam ledebant; sed magna inter eos, Iove ita dispensante, concordia erat: unaque in arca omnes navigabant, quamdiu aqua superabat. Hæc Lucianus. Quin etiam Plutarchus de industria animalium scribit, columbam ex arca Deucalionis emissam attulisse indicium recedentis diluvii. Ex his igitur manifestum est, quod dixi, per diluvium Deucalionis intelligi diluvium Noæ: quia in sacris literis similia traduntur de animalibus à Noâ in arcam receptis, & de columba ab eodem emissâ.

Protinus Æoliis Aquilonem, &c.

Iris, cur di-  
catur nun-  
cia Iuno-  
nis.

Arcus cælestis dicitur Iris ab eo quod est loqui. Sic enim Socrates apud Platonem exponit etymologiam huius vocabuli. Ac fingitur nuncia Iunonis, eo quod prædicat & nunciat pluvias. nam aer, in quo coguntur imbres, Iunonis nomini consecratur, teste Lucilio Balbo apud Ciceronem.

Tridens  
Neptuno  
cur attri-  
buitur.

Ipse tridente suo percussit, &c.

Neptuno attribuitur tridens, propter tres orbis terrarum partes, quas ambit Oceanus: ac quoniam in locis ma-

ritimis